



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacros. Concilii Tridentini Canones Et Decreta

Gallemart, Jean

Coloniæ Agrippinæ, 1621

Feria Qvinta Die XXXI. Avgvsti, Anno A Nativitate Domini Nostri Iesv Christi
1617.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39157

FERIA QUINTA DIE XXXI.
AVGVSTI, ANNO A NATIVITATE DO-
MINI NOSTRI IESV CHRISTI 1617. IN
generali congregatione S. Romanæ Ecclesiæ, &
vniuersalis Inquisitionis habita in palatio
Apost. in monte Quirinali, coram
S. D. N. D. Paulo diuina pro-
uidentia Pap. V.



SANCTISS. Dominus noster post longam & ma-
turam discussionem, auctis vatis illustrissimorum,
& Reuerendissimorum DD. Cardinalium
contra hereticam prauitatem generalium Inqui-
sitorem, re accuratè ac diligenter perpenſa prou-
idè considerans, quod quàmuis in constitutione ſe-
licet record. Sixti IV. ſuper Conceptione Beatiſſimæ
Virginis Mariæ, præ ſubmouendæ inter Chriſti ſi-
deles, andali rixis & contentionibus edita, à S. Trid. ſynodo innouata,
& deinde in alia conſtitutione ſanctiſſ. Pij V. ſuper eadem re, quas ſimi-
liter ſanctitas ſua innouauit, cum quibuſdam prouiſionibus, & adſectio-
nibus poenarum pro efficaciæ earum obſeruatione, relinquatur vnicuique
libera facultas tenendi, & etiam aſſerendi vtramque partem, quod ſcilicet
fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra
ueluti erronea, aut heretica damnatur. Nihilominus ex occasione aſſerti-
onis affirmatiue in publicis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & a-
diuſ publicis, quod eadem Beatiſſima Virgo fuerit cum peccato origina-
li concepta, oriuntur in populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcan-
dala, iurgia, & diſſenſiones: Propterea volens huiusmodi ſcandala ex de-
bito ſui muneris prouidere, decreuit, & præcepit, ac præſentis decreti vir-
tute mandat ac præcipit omnibus & ſingulis cuiuscuſque Ordinis, & inſti-
tuti Regularibus, & alijs quibuſcuſque, tam Eccleſiaſticis, quam ſacu-
laribus perſonis cuiuscuſque conditionis, ſtatûs, gradus, Ordinis, aut dignita-
tis, tam Eccleſiaſtica, quam ſecularis, etiam ſi ſpecialis, & ſpecifica, indi-
uidua earum eſſet neceſſario mentio faciendâ, ut in poſterum, donec arti-
culus huiusmodi à S. ſede Apoſtolica fuerit deſinitus, vel per ſanctitatem
ſuam & ſedem Apoſtolicam fuerit aliter ordinatum, non audeat in publi-
cis concionibus, lectionibus, concluſionibus, & alijs quibuſcuſque actibus
publicis aſſerere, quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato origi-
nali. Contra facientes autem eandem ſanctitatis ſua voluit, & declara-
uit, ſubiacere debere, & ſubijci cenſuris, & poenis contentis in ſu-
pradiſtis conſtitutionibus ſuorum prædeceſſorum, & ſua ipſo facto in-
currentis. Per huiusmodi tamen prouiſionem ſanctitas ſua non

intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus praiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu & terminis, in quibus de presenti reperitur, praterquam quoad supra disposita. Vterius sub eisdem censuris, & poenis mandans, quod negatiuam opinionem, videlicet quod non fuerit concepta in peccato originali, in praedictis publicis actionibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expresse mandauit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supra dicta constitutiones firmas & illas remaneant, & exacte obseruentur, perinde ac si praesens decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit ubicumque inuolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supra dictis constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus. Volens & decernens pro obseruatione, & executione praesentis decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusvis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & saeculares personas, cuiuscumque status, conditionis, gradus, Ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticae, quam saecularis, tam Episcopi, & Praelati superiores, atque Ordinarij locorum, quam haeretice prauiuitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac poenas coercendi, ac puniendi. Voluit demum, ne praemissorum ignorantia à quoquam praetendi possit, quod praesens decretum, seu illius exemplar ad valuas Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floris affixa omnes ita ardeant, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent. Quaeque praesentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius persona in dignitate Ecclesiastica constituta munitis, eorum prorsus fides adhibeatur, qua praesentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Andreas de Pittinis Sanctae Romae & vniuersalis Inquisitionis Notarius.

Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1617. indict. XV. die Mayo 12. mensis Septembris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli auiuna prouidentia Papa V. anno 3. praesens Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Principis Apostolorum, & in acie Campi Floris, per me Franciscum de Clericis sanctij. D. N. Papa Curiozem.

Siluerius Pontiolus Mag. Curf.

Roma, Ex Typographia Reu. Camerae Apost. 1617.

Disce-